

Conversi sunt Ninevitæ de via sua mala.

Léctio libri Ionæ prophétæ

3, 1-5. 10

- ¹ **F**actum est verbum Dómini ad Ionam dicens:
² «Surge, vade in Níneven civitátem magnam
et prædica in ea prædicatióem,
quam ego loquor ad te».
³ Et surréxit Ionas et ábiit in Níneven
iuxta verbum Dómini.

Et Níneve erat cívitas magna coram Deo,
itínere trium diérum.

- ⁴ Et cœpit Ionas introíre in civitátem itínere diéi uníus;
et clamávit et dixit:
«Adhuc quadragínta dies, et Níneve subvertétur».
⁵ Et credidérunt viri Ninevítæ in Deo;
et prædicavérunt ieiúnium
et vestíti sunt saccis a maióre usque ad minórem.

[6-9]

- ¹⁰ Et vidit Deus ópera eórum,
quia convérsi sunt de via sua mala;
et misértus est Deus super malum,
quod locútus fúerat ut fáceret eis,
et non fecit.

Verbum Dómini.